



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xi. Cerebrum, medulla spina dorsi, venæ, membranæ, ossa, cornua,
dentes animantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

pueris capilli sint magis graciles, inde est, quòd eorum pori tam ampli non sint: quòdquè canescant quandoquè unâ nocte, est à qualitate ad eorum radices productâ diffusâ dein, ad partes remotiores capillorum, (qui etiamsi permittantur hanc qualitatem, imò suum alimentum per poros suos attrahere fit tamen hæc attractio mortuo modo, sicut lana rescissa & spongia attrahit aquam) quòdquè ungues habeant certam figuram, est à partibus vicinis certo modo excrementum à se expellentibus.

XI. E contra probabilius videtur, cerebrum animari, utpote quod tanquam organum sensus interni, officina spirituum, & pars principalis corporis, nutritur, ut indicat pervagantes illud venulæ, nequè omninò discontinuatur à partibus animalis, sed per minutissimas fibras conjungitur meningibus, & hæc aliis partibus, etsi hæc conjunctio tam notabilis non sit, quod vult Arist. inquit, cerebrum numerandum non esse inter partes corporis continuas. Imò quòd possit exemptum & discontinuatum, adeoquè destitutum animâ, subitò reponi, & productâ novâ unione integrali inter illud & partes vicinas, rursus anima-

animari (sicut caro gallinacea insuta humana animatur) uti docent plures; adeoque axioma illud : à privatione non datur regressus ad habitum : sic foret intelligendum : quòd postquam tota materia, aut certè partes adhuc principales privatæ sunt anima, non animentur rursus. Idem dicendum propter easdem rationes videtur de medulla spinæ dorsæ, utpote quæ cum cerebro, à quo accidentaliter tantum differt, continuatur, uti & cum aliis nervis. Item de venis, ligamentis cartilaginibus, membranis, ossibus, cornibus, (quæ cum osse capitis continuantur, suasque fibras, per quas alimentum vitaliter attrahant, habent) dentibus, qui ejusdem cum ossibus rationis videntur (imò in lupis cum maxilla continuari) suasque radices habere, quinimò dolorem sentire, dum in interiore molliore concavitate eorum, quo nervi nulli aut gingivæ caro approximatur, nascitur vermiculus aut putredo ; nec obstat quòd hi sponte quandoque excidant, nam & folia & fructus sic decidunt ex arbore, imò nasus ob frigus.

XII. VITA FORMALIS bene definitur, quòd sit operatio per se seu ex natura sua &